

ETR. RAΘ = " ORDO "

In Studiis nostris IX 245-252 Eva Fiesel, domina docta, inscriptionem Tuscam publicavit, quam in Museo Civico Clusino invenit. Incisa est sub patera, quam domina Eva recte, ut mihi videtur, saeculo IV. ante Christum tribuit. Continet haec verba binis punctis distincta:

ta : θafna : raθiu : cleusins'l :

Scorsum autem inscriptum est verbum *θu*, quod numerum ternarium significare editrici facile concedo.

Neque vero cum ea facio, cum denique p. 252 hanc versionem Latinam proponit:

« haec (est) libatio Attribut ? Cleusins ? drei ? »

Omnibus iam diu constat *thafnam* Etruscae paterae nomen esse (cfr. *l. c.*, p. 247). Rem simplicem detorsit domina Eva, cum multa disceptavit, ut ad alium sensum perveniret. Putat enim se nomen libationis tenere.

Ego sic verto:

« haec patera ordinis Clusini »

Quod additur verbum *θu* indicat tres minimum pateras fuisse, quarum haec est tertia.

raθiu utrum genitivus an adiectivum sit, non multum interest. Utique *raθ* « ordo » est = Suevice et Danice *rad*, antiqua lingua Suevica *radh*, Isl. *rödh*, media lingua inferiore Teutonice *rat*, nova Persica lingua *rata* « linea, ordo ». Est idem verbum atque Ossetium *rad* « ordo » atque probabiliter et Lituanicum *rēdas* « ordo ».

Putaverim idem verbum esse atque Teutonice *Rat* « consilium » = Suev. *rād* (veteris linguae *rāθ*), Isl. *rādh* Dan. *raad*, veteri lingua Saxonica *rād*, Angelsax. *ræd*. Similiter Latine *ordo* est et « linea » et « collegium, consilium ».

Nec solum lineam rectam radix illa significat, sed et lineam rotundam vel orbem et circulum. Quare orthographia tantum diversa vox est Teut. *Rad* = « rota ». Ipsa vox *rota* cognata est sicut et haec verba: media lingua Teutonice inferiore *rat* « rota », vetere lingua Suevica *radh* « rota » (nunc *rād-* in composito *rādbrāka*), vet. ling. Fris. *reth* « rota », vet. Irl. *roth* « rota », Lituanice *rātas* « rota », vetere lingua Indica *rātha-h* « currus », Fennice *ratas* (gen. *rattaan*) « rota », plur. *rattaat* « currus », Suev. *ratt* « gubernaculum », Dan. *rat* « gubernaculum ».

Ordo nonnumquam in inscriptionibus Latinis populo opponitur sive civibus sive plebi. Vide magnifici operis Dessaviensis vol. III, p. 676. Media Italia, paucis exceptis, inscriptiones illae insculptae sunt. Tres afferam, quas Etruria genuit.

655 : *ordo et populus Vulcentium*

1180 : *ordo et cives Tarquiniensium*

1252 : *ordo Lunens. et cives.*

Addam

1263 : *ordo populusque civitatis Praenestinae*

cleusins' l mea sententia est genetivus adiectivi a nomine urbis Clusini derivati. Suffixum *-ns-* et in lingua Latina viget sine affinitate in aliis linguis, lingua Etrusca excepta. Eo suffixo adiectiva geographica formantur, qualia sunt *Pisauensis*, *Narbonensis* cet. Apud Tuscos et in deorum nominibus invenitur: *culsans*, *selvans*, *fusluns*, *neθuns*.

Adiectivum in *cleusins' l* latere vel propter has locutiones putaverim:

1216 : *ordo populusque Atellanus*

1217 : » » *Atinas*

1223 : » » *Suessanus*

8984 : » » *Neapolitanus*

CIE 4116 *sudi hindiu* eandem terminationem possessivam habet ac *radiu*. Fortasse est « sepulchrum inferi » = « sepulchrum subterraneum ». Terminatio vix alia est ac nota illa in genitivis Graecis, quales sunt αἰγιόχοιο ἱπποιο, et in adiectivis velut ἱππιος,

rað et in glande missili Gam. 377 legitur. Non video, cur aliud significet quam « ordo ».

Etiam illud *rat*, quo « rota » significatur, apud Tuscos viguisse videtur. Nam nomen Ratumennae portae Romae et forma Etruscum est et ad currum pertinet. Denique cum auriga Etrusco coniungitur nomen illud. De ea re apud Festum 274, 9-12 M. haec feruntur: *Ratumenna porta a nomine eius appellata est, qui ludicro certamine quadrigis victor clarusci † generis iuvenis vehis † consternatis equis excussus Romae perit.* Emendandum censeo: *Etrusci generis iuvenis vehiculis.* Omnia igitur eo ducunt, ut puteamus Ratumennam portam Etruscum nomen habere. Latine esto « porta curulis ». Cf. fenn. *rattaat* « currus », vet. ling. Indica *rátha-h* « currus ». — Apud Solinum 45, 15 legitur *Rutumannam* (ita a Mommseno), *Rutimannam* similia; sed recentiora menda videntur esse propter linguas Germanicas facta.

Interpretatio mea eo probabilior videtur, quod Porta Ratumenna inter Capitolium et Quirinalem sita erat atque equi feruntur post casum tristem in Capitolium perrexisse. Festus addidit: *equi feruntur non ante constitisse, quam pervenirent in Capitolium.* Item Solinus. Victor auriga ita cognoscitur eadem via vectus esse qua imperator triumphans, qui per campum Martium — ubi certamen equorum apparet factum fuisse — et Portam triumphalem ad Capitolium curru vehi solebat. Quare triumphus ipse curulis appellabatur et intellegimus Portam Triumphalem alio nomine Ratumennam, id est curulem, appellari. Illa aetate exstiterat, qua veteres gentes essedis pugnabant. In Italia una cum Etruscis apparent essedae. Qua de re vide Randall-Mac Iver, *The Etruscans*, p. 19. In antiquissimis iam sepulchris eorum essedas inventas esse notum est.

M. Hammarstrom-Justinen